

V. K.
534



n. 10



h. 109, 2.

Vk
534

LINEAMENTA HISTORIA
DE
TERRA AD-
VOCATORUM

SIVE
Sogtland/

BIBLIOTHECA
PONTICAVIANA

QUÆ
DEO AVSPICE
GRATIOSOQUE AMPLISSI-
MI SENATUS PHILOSOPHICI INDULTU
IN ILLUSTRIS SALANA
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
SISTIT.

M. Ehrenfried Dürck/

MYHLA-VARISCUS
RESPONDET

Ehrenfried Kloß/Reichenbach.

VARISCUS
ad diem August.
H. L. Q. C.

51.

J E N Æ
LITERIS GOLLNERIANIS,
Anno Salutis M. DC. LXXV.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SALLE)

[Handwritten signature]



LINEAMENTA HISTORIAE

D. E.

TER R A A D

VOCAT ORUM

SIVE

Loggia

QUE

DEO AVSPICE

GRATI OSOQUE AMPLISSI

MI SENATUS PHILOSOPHICI INDULTU

IN THEATRO SALARIA

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINE

SUAVIT

M. G. G. G.

MYHIAVARISCUS

RASPODET

Epistola Alois Reichbach

V. A. R. I. S. C. U. S.

ad hunc

H. A. O. C.

J. E. N. E.

LITTE RIS GOLDFRIANIS

Anno salutis M. DC. LXXI.

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SACHSEN-ANHALT



PROOEMIUM.



Ngenii vires in argumento Historico periclitantem variaz historiarum alliciunt illecebræ. Illustrant aliqui improbis vigiliis terras sub alio sole calentes; Romæ conditorem, capitolia, cryptas, & quæ ibi alia probè novimus, nec sine studiorum dispendio ignoramus. Remotissimarum regionum patriis neglectis, delicias sciscitamus. Laudamus conatus, sed non imitamur. Præferant alii aliena suis; nos nostra alienis. Scrutentur peregrina magis, quam domestica, nos domestica prius, quam peregrina. Et cur sub oculis posita negligamus? *sed ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur, seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est, seu quod differimus tanquam sæpius visuri, quod datur videre, quoties voles cernere. Quacunque de causa permulta in urbe nostra, regionibus dicam, non oculis modo, sed ne auribus quidem novimus. Quæ si tulisset Achaja, Ægyptus, Asia, aliave quælibet miraculorum ferax, commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrataque haberemus; Uti Plinius ævi ac sæculi sui genium scitè non minus, quam verè depingit, quem multa retrò secula obtinuisse, & nostrum quoque ævum possidere in propatulo est, id quod singulæ Germanicæ Historiæ periodi contestantur. Et nostrum quoque ex eadem petitum de TERRA ADVOCATORUM argumentum id ipsum docet, quo in, si Generos. Christoph. Philippi à Waldensels Monumentum Historicum*

ricum exceperis, glaciem qui fregerit, vix alios laudaveris. Diu igitur, multumque duram hanc provinciam humeris oneri imparibus involvere dubitavi. Sed patriæ amor, qui ortus nostri partem sibi vendicat, vicit, & LINEAMENTA hæc, quæ philyrarum frontispicium indicit, eâ, qua licuit, brevitate, (quo successu nullus dixerit,) ducere aggressus sum, hæc scilicet ratione, ut crassiore Minerva capite I. rei ipsius appellationes, easque varias discuterem. c. II. Nariscia & Voitlandia faciem formamque adumbrarem. c. III. ex Periodo prima c. VI. ex secunda, tertia, & quarta. c. V. ex quinta, secundum quas Monarchiæ quartæ historia vulgò dispescitur, periodo memoratu digniora delibarem. c. VI. Terræ memorabilia uberius illustranda intimarem potius, quam dignè satis persequerer. Hæc B. L. serenâ fronte accipias velim, errantique in istis comiter monstres viam, & si fides historica fidenti imposuit, monumentis ac scriptis aliis certiora edoctus tuò, quò studiis hisce deditis faves, favore nostra corrigas.

C A P U T I.

TItuliratio, & Synonyma. Naristi ac Narisci voces Cluverio probata à Nabo vel Nare derivantur. Willichius ob N. in V. mutatum Ptolomai, Rhenanus Capitolini locum notant. Variscus vox quoque probabilis. Narisci à Nardge corruptè Narca; Varisci à Varst. Armolausia. Terra Prætoriana à Prætoribus; Advocatorum ab Advocatis dicta. Posteriores hanc appellationem Aventinus rejicit. Vocula Voit vel vogt quibusdam origine Græca à Βονδισία; aliis Latina à VOCAT; aliis Germanica à Bôgen; Quibusdam Gentilis; nonnullis denique Hebræa à Rad. קפ

§. I. LINEAMENTA HISTORIÆ, non ipsam, eamque integram, exasciatam & omnibus numeris absolutam DE TERRA ADVOCATORUM Historiam paucis his philyris sistimus. Quæ ipsa rubrica Oedipò divinator

tore non indigebit. Ut ut enim Lineamenta, Buchnero interprete, notae sint & quasi lineae quaedam ac fila corporis, ex quibus de forma judicatur, ejusque similitudine cum alio corpore, translatae tamen perquam commodè, nec novò exemplò, ad Historiæ tractationem accommodantur. TERRÆ verò ipsi, quam ADVOCATORUM diximus, cum temporum mora, tum hominum arbitrium varias indiderunt appellationes, quas hîc adducere, adductasque evolvere operæ pretium fuerit. Sunt verò subsequentes: NARISCIA vel VARISCIA; ARMALUSIA; TERRA ADVOCATORUM seu PRÆTORIANA; VOITLANDIA.

§. II. Principem ex his locum, cum antiquissima sit, ea appellatio, quando NARISCIA sive VARISCIA terra hæc, ejusque incolæ NARISCI, NARISTI, vel VARISCI nuncupantur, sibi vendicat; Ultra verò scriptio lectiove alteri sit præferenda, disquirunt plurimi, idque eò magis, cum neutra antiquissimorum scriptorum testimoniis careat. Tacitus enim, liberi iudicii ac styli scriptor *Nariscorum*; Ptolomæus autem *Oua* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$ mentionem injicit, hinc interpretes vocem torquent, & in ea exprimenda discrepant. Sedulus ille antiquitatum variarum indagator Phil. Cluverius autor nobis est, Nariscie incolas genuinò nomine rectius *Nariscos* l. *Naristos*, quam *Variscos* audivisse. Eruditè de his nominibus Cap. XXIX. suæ Germ. Antiq. hunc in modum disserit: *Ad vocabulum gentis quod attinet, legitur id apud Ptolomæum Oua* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$, *quod viri docti corrigendum putarunt in Na* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$, *Equidem ego de Ou in Na mutando nihil ambigo; At de T. in K. vertendo etiamnum dubito. Quidpe quamvis ipse Taciti exemplarium fidem Ptolomæi exemplaribus prætulerim; Præsertim quum apud Jul. quoque Capitolinum in M. Antonino legantur Narisci; tamen è diverso pro Ptolomæo facere video, quod apud Theodosium è Dionis Historia iidem populi dicantur Na* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$. *Ita uti ferè credam promiscuè ea vocabula usurpasse quondam Græcos. Sententiam suam laudatus autor exemplo simili illustrat, dum pergit: Quemadmodum Tave* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$ *quoque dixerunt Tave* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$ & *Tave* $\epsilon\pi\sigma\tau\upsilon\nu$ *teste Suetonio lib. VII. Ad-* *dimus ex eodem vocabuli etymon: Magis, inquit, genuinum est nomen Nariscorum ex Germanico derivati generis vocabulo est*

nrische. Erenim aut flumen Nabum adcolis quondam dictum fuit
thi Mare; unde genti nomen derivatum thi Marischen aut genui-
num nomen thi Nabischen Romani vitarunt in Nariscos.

§. III. Hujus sententiam maxima autorum accedit co-
hors. Laudemus ex ea Iodoc. Willich. Comm. in Corn. de
Germ. apud Rhenan. p. 615. cujus verba habent: *Ptolomeus*
iterum nomen Narischorum permutavit. Habet enim Variscos &
facillimum lapsus inter N. & V. literas apud Latinos (quorum so-
num & ἐγκλισίω illum secutum esse credo) nemo est, qui non videt;
tam & ipsum B. Rhenanum l. i. p. 125. Capitolini locum in-
crepantem: *Licet, inquit, monere esse depravatam in Capitolino*
vocabulum in vita Marci Antonini. Nam ubi vulgo legitur Mar-
comanni Variste &c. scribendum Marcomanni, Narisci &c.

§. IV. Nihilominus in amplectenda hac sententia du-
bitat Excell. G. C. Kirchmaierus Comm. in Tac. qui, post-
quam Cluverii etymon ac ἐπίκλιση adduxit, scribit: *Uti ego*
non impugno horum sententiam (qua de ἄριστοι in Νάριστοι
mutatione fuit) ita nec sequor opinionem. Quid enim absurdi hinc
si ἄριστος aut ἄριστος T. in κ. abeunte idem quod Variscus
sit. Locum itidem ex Claudii Geograph. lib. II, ubi ἄριστοι
vox legitur, exhibet.

§. V. Sed novam eamque singularem vocis hujus
etymologiam leges apud Annalium Bojorum conditorem
Joh. Aventinum; NARISCOs ille à NARDGE vel NORDGE seu
Aquilonis terra, ita enim ea pars versus septentrionem sita
audiebat, dictos esse putat. Est verò & Nordge composita
vox ex Nard vel Nord, quod idem est ac Aquilo seu Septen-
trio; Ge verò seu Geja Grecis & Latinis Terram significat. Jam
Nardge vulgus diminutè suo jure Narca appellat, unde à Cor-
nelio Narisci dicti sunt. Vid. ipsum l. i. Annal. Boj. & in ei-
dem operi præmissa nomenclatura litera N. & G. VARISTO-
RUM verò nomen à Germ. vocabulo Varst, quod idem
est ac saltus, derivari credit laudatus Aventinus. Ita enim
loc. cit. litera V. verba ejus leguntur: *Variste populi Ger-*
maniae in Bojemia cum Marcomannis habitant, quorum pars
erant, qui saltus tenuerunt, qui Varst Germanicâ linguâ dicuntur.

Aliis

Aliis aliæ derivationes, allusiones rectius dixerim, mirè ar-
rident circa primam hujus terræ appellationem, quas ad
unum omnes, quum non ad singulorum salivam esse adeò
persuasum sit, quàm quod maximè, recensere nihil attinet.

§. VI. Hactenus traditam & variè explicatam alia Ter-
ræ hujus excipit appellatio, quâ eadem Armalausia & ejus-
dem incolæ Armalausi nuncupantur. Unde id nominis, vi-
ris doctissimis animi pendentibus, non ausim quicquam
affirmare. Cluverii cap. XXIX. Germ. Antiq. conjectura est,
gentis (Nariscorum videlicet) nomen à Dione & Capito-
lino in M. Antonini principatu ultimò adduci. Nam, in-
quit, posterioribus temporibus Tabula Itineraria, eòdem situ, inter
Alemannos & Marcomannos dicuntur Armolausi, & apud Æthi-
cum inter Germanie gentes vitiatò vocabulò Armolai. Quando
priscum nomen, & qua de causa, mutaverint, non facile dixerim.

§. VII. Tertiò locò id nominis constituimus, quo Ad-
vocatorum seu Prætoriana Terra audit, vel à Druso Romano
Præto, vel ab Advocatis seu Præfectis majorum ætate
constitutis, ac terræ dictæ præpositis. Qua de re in subse-
quentibus erimus prolixiores.

§. VIII. Ægrè tamen atque molestè nonnulli Terræ
hujus Latinò idiomate expressam appellationem ferunt,
cum Voitlandia præsentis respondens proprium nomen,
ideoque literis auctum vel diminutum potius retinendum
sit. Et hoc est, quod Aventinus cit. Annal. præmissa no-
menclit. V. invehatur in Æneum Sylvium, verba ejus ha-
bent: *Voitlandia est terra Boethorum seu Advocatorum, quem-
admodum Æneas Sylvius licenter, ne dicam ineptè vertit. Pro-
pria enim nomina non sunt vertenda, sed literis aucta aut dimi-
nuta, Romanâ incude formanda sunt: Ita Plinius docet, sic
Hermolaus Barbarus commonet: Et ego apud illustres rerum scri-
ptores diligentius observavi.* Hodie hac de re commentantes à
frequentiori hujus vocis usu minùs abhorrent, ut vel inde
præscriptionis jure, ut loquuntur, seipsum tueri videatur.

§. IX. Ultimam denique, eamque tritam ac vernaculâ
nostrâ usitatam appellationem, quâ VOITLANDIA vul-
gò

gò effertur, examinabimus. In hujus etymologia eruenda maximum autorum deprehendes dissensum, qui ex variorum opinionibus brevi recensendis nemini perspectu erit difficilis. Hinc non immeritò queritur Knichen de jure sup. in com. l. alter. territ. c. IV. p. 61. *Vox Voigt, l. Voigthey unde originem sumserit, indagationis non est usque adeò certa.*

§. X. Non parva primò scriptorum manus est qui Græcum voculæ hujus etymon quærunt: *Est Voilandia à præfectura dicta; Nam tam Græcis quam Germanis Βονδοσ Voidt est, nimirum præfectus, & land regio, ita ut sit præsidis & præfecti regio.* Sic Jodoc. Willich. Comm. in Corn. Tac. Germ. apud Rhenan. p. 618. Βονδοσ ut Græcis administrationem, præfecturam & auxilium denotat, ita etiam vernaculâ nostrâ Vogthey præfecturam pariter & administrationem significat. Βονδοσ adjutores curarum reip. & plebis scribæ. it: primitivum scribendo adjuvantes sunt: Vid Knich. loc. cit. & quos ipse laudat. adde Lexica Græc.

§. XI. Etsi dictio Vogthey quoad parilem significationem re ipsa sit Græcorum Βονδοσ, non tamen inde sumfisse Germanos opinantur plurimi. Latinis potius natales debere vult Goldastus ad Tyrolem, demonstrans vocem Vogt Κατ' ἀφαιρεσιν ex Latino *VOCAT* quasi *Advocato* esse deductam. Id quod Tom. 1. part. 1. p. 131. Rerum Alemann. suarum repetit. Conf. Matth. Magerum in *Advocata sua armata* p. 57. c. 2. n. 203.

§. XII. Sed vocabulum Vogt minimè etiam derivandum esse per Aphæresin Besoldus disc. de Jure foed c. v. contra laudatum Goldastum disputat, eò, quod merè priscum sit Germanicum *Boget* / sicut ex multis antiquissimis Germanorum Veterum rythmis à laud. Magero n. 224. colligere quis possit. Ex horum thesauro unicum, eumque anonymi recitasse sufficiat:

----- Als Minrot

Ihr Richter und ihr Boget Gebot.

Vid Matth. Magerum loc. cit. prolixissime in hanc rem inquirentem.

§. 13. Arri-

§. XIII. Arridet aliis *Boget* ab antiquissimo vocabulo *Bögen* h. e. disponere vel ordinare, deducere, quam originem debemus Thomæ Franzi pro Carolo Magno primo Feud. autore defensionis Illustris Struvii Syntagm. Jur. Feud. annexæ p. 664. Subnectimus hic textus contentum: *Illi, qui majus imperium habebant vocabantur Bögete à dispositione nempe & imperio. Bögen enim vernaculâ nostrâ lingua nihil aliud sonuit, quam disponere aut ordinare.*

§. XIV. Nec planè in vulgus innotuere, quæ Generosus Christ. Philipp. à Waldenfels Eques Voitlandus in monumento suo de majoribus nostris & de Voitlandis Nariscis conscripto p. 270. de hac voce, quam ex Gentilium numero esse asserit, memoriæ prodit: *Vocem hanc, inquit, Voit ex nobilissimorum Germania populorum Witarum, Vitarum, vel Voitarum societate descendere veri non dissimile apparet: Qui ex insulis maris Baltici excedentes in Germaniâ superiore loca & habitationes quaesiverunt. Singula transcribere nihil attinet, concludit autem p. 275. verbis hisce: Colligi potest ex dictis originem vocabuli de priscorum Witarum vel Vitarum societate provenire; quos à Nariscis in societatem & viciniam assumptos, & Helvetiam proficiscentibus cum ceteris popularibus & Saxonibus adscitos, patres esse Svitenium, conjecturabile. Historia perfecta ex incuria anteriorum, proh dolor! deficit. Huc usque ille, quem pluribus legere licet.*

§. XV. Nec desunt denique, qui vocem hanc ex Hebræorum fontibus derivare allaborant. Memoratu digna judicamus in hanc rem verba sæpius cit. Icti Magiri c. 2. p. 57. Advocatiæ Armat. quibus vocem *Bogt* ab Hebræorum rad. *בגט* deducere satagit: *Mihi, inquit, hujus vocula Bogt originem diligentius præscrutanti in mentem venit, eandem ab Hebr. בגט quod præfectum significat, tam ex vocis consonantia quam & significationis paritate non insulse derivari posse. Si enim ex voce illa Boket more Germanorum prædicto B. ut. F. I. V. consonans efferatur, antiquum nomen Germanicum Boket / seu quod idem Boget / & per contractionem abjecta litera E. Bogt / ab eoque Bogthey habebimus. Qua tamen in re aliorum certiores*

B. conje-

conjecturas huiusmodi vocabulorum afferentium me lubens submitto. Nec ab hac etymologia abit Helvigijs, qui eandem vocem à dicta Hebr. Rad. & derivato קָפַח hoc est, *prepositus, praefectus*, deducit. Quærenti autem, quid commune habeant, V. & P. rursus G. & Q. respondet esse literas ejusdem organi; illæ quidem sint labiales; hæ verò linguales. Vid. M. And. Helvigium in Etymologijs & originibus dictionum lit. V. m. p. 291. Utraq; forsitan sententiarum asteriscò esse notanda; Magiri quidem, quod non genuinis radicem & exasse respondentibus exprimat literis; Helvigii verò, quod Linguales cum Palatinis commutet. Ipsam rem quod concernit, miramur magis summorum ingeniorum in levioribus curas, quam ut curiosis verborum indagatoribus quicquam vitio ponamus.

CAPUT II.

Nariscorum antiquorum termini situsque. Aventino Narisci indigenæ sint. Idem Marcomannicò bellò celebres. Voilandia dividitur; altera Ducibus stirpis Andechisæ paruit, & hodiernâ amplior fuit. Eadem apud Irenicum memoratur. Altera angusta est & parva Nariscæ partio. Hodierna quoque nominetenus, quam ex vero latior patet.

§. I. Germania nostra terris informis, montibus aspera, cultu aspectuque tristis, in universum sylvis horrida &c. à veteribus proditur, felicissima tamen & fertilissima fortissimarum gentium mater laudanda est. Germanis enim quid & animosius quid ad incursum acrius? Quid armorum cupidius? Quibus innascuntur & innutriuntur; ut ingenuè Seneca Romanus civis confitetur de ira l. l. c. II. Inter hos populos non degenerem, si gloriam & vires gentis spectas, fovit, NARISCOs scilicet, quorum situm atque memoriam paucis rudiùs quidem & planiùs subjicere conabimur. Nam adyta historię gentis cujusdam Germaniæ antiquioris accuratiùs penetrare cupientem facilè tenebræ, plus quam Cimmeriæ terreant. Sive enim rerum ac gestorum, sive Geographicam intuearis historiam, utraque tricis nimis

miis implicita est atque involuta; Nec digniori fatò NARI-
 SCIA nostra, quæ parcè satis raròque à quibusdam antiquio-
 ribus scriptoribus commendatur, usus est. Conatu tamen
 nunquam satis laudato vires in hoc genere periclitanti gla-
 ciem fregit Philippus Cluverius in limato suo de Antiqua
 Germania opere. Tacitus scilicet Nariscorum meminit cap.
 42. de Germ. inquit: *Juxta Hermunduros Narisci & deinde*
Marcomanni & Quadiagunt, eaque Germania velut frons est, qua-
tenus Danubio prætexitur. Variè varii in hunc commen-
 tantur locum, maximè laudati Cluverii utentes operá, qui
 ex situ à Tacito indigitatò colligit, Nariscos in ripa Danu-
 bii inter Hermunduros ac Marcomannos Bojohæmi in-
 colas sedem suam habuisse. Limites ergo eorum fuerunt
 à Meridie Danubius, ab Æni confluenta ad Ingolstadium
 usque: Ab occasu linea hinc ad Moeni fontes ducta: Ab or-
 tu æstivo Bojohemici montes ac saltus. Porro Cluverius
 loc. cit. Strabonis & Ptolomæi loca huic sententiæ minùs
 repugnantia illustrat. Posterioris ex duumviris his verba
 ita recitantur: ὑπὲρ τὰ σέδητα ὄρη τευριοχάμαι, ὑπὸ δὲ τὰ
 ὄρη Ουαρισσοί: Εἶτα ἡ γαβρίτα ὕλη, ὑπὸ δὲ τὴν γαβρίταν ὕλην
 μαρκομαννοί. h. e. *Supra Sudetos montes Teuriochama: Sub mon-*
tibus Varisti: Dein Gabrita sylva. Sub Gabrita sylva Marcomanni.
 Textum hunc exoticarum vocum obscuritate involu-
 tum ita explicat Cluverius. *Sudeti montes sunt, qui in Theu-*
ringia exsurgentes effusis Visurgi, Sala Moeno, Egra ac Navo amni-
bus Bojohæmi latus occidentale cingunt ad Danubium: In quibus
saltus sternuntur Thuringicus & Bojohemicus, vulgò der Döringer
und Böhmer Wald. Supra hos montes collocat Theuriochemos,
qui forte sunt Theuringi (placet hic eandem observationem,
quæ Willichii Comment. in Tac. p. 615. est, inserere,
dum vocem Teurioχάμοι corrigendam esse putat: Forsan,
inquit, hic legendum est τυροχάμοι, ut Thuringiorum appella-
tio curioso indagatori conveniret.) Infra hos Ουαρισσοί, quorum
vocabulum jam ante me alii correxerunt in Ναγίσσοι, Marcoman-
ni Bojohæmum tenuerunt. Gabrita ergo sylva fuit inter Nariscos
& Marcomannos, vel etiam in dictis montibus Sudetis in Bojohæmi

ac Superioris Palatinatus confinio in Theuringiam usque extensa. Plura cum ex Ptolomæo, tum etiam Strabone loca, quæ hinc tenebris lucem afferunt, Cluverius l.c. cumulat, illustratque. Brevius atque concisius hanc delineationem exhibet lib. III. c. V. §. 2. Introd. Geograph. inquires: *Narisci tenuerunt inter Bojohemi occidentale latus & Danubium lineamque à Mœni fontibus ad oppidum Ingolstadium ductam: postmodum Ar-malansi dicti.* Multa insuper de Nariscia collegit Gener. Philippus à **Baldensels** p. 245. Monumenti sui, quem vide.

§. II. De Nariscis pariter & horum diversis, ut vocat, civitatibus Aventino l. i. p. 2. Annal. Boj. differendi an-sam præbet Bojariæ in tres partes divisio, quarum unam Narisci incoluerunt, quos *indigenas* vocat, eo, quod *avitas sedes nunquam amiserint, & ab oriente contingant Bojemiam*, ut loquitur p. 36. l. i. Id quod etiam pag. 7. non obscure in-nuerat, ubi variam toties mutatarum regionum fortunam, quæ rebus humanis illudens ex libidine & vocabula & cul-tores variet, accusat. *Maximarum*, pergit ibidem, *urbium po-pulorum potentissimorum nullæ reliquæ, nulla vestigia supersunt.* Neque ita multò post: *Nulla, inquit, in Germania gens est præ-ter Frisos, Nariscos & Francos, qui vel veterum cognomina, vel ve-teres suas sedes obtineat, quod à perquam paucis animadverti non vehementer mirari non possum.* Denique illud indubitanter liquet, verba sunt Kirchn. Comm. ad Tac. *Terram à præfectura aut Bojohæia Voigeland appellari solitam, cum vicinia Norimbergensis tractus, Superiorisque Palatinatus parte à Nariscis fuisse habitatam.* Sed hæc de eorum perpetuis nominibus ac sedibus. Re-gredior ad uberiores de Nariscis narrationem, qui, postquam nominis etymon, idque singulare, superius adductum dedit, pergit: *Narisci in multas civitates divisi, capi-ta solum nominasse sufficit: Alemannos, Nariscos proprie dictos, Boe-thos, Chamabos, Sudinos Ilisios: Horum omnium meminit Ptolomæ-us in descriptione Septentrionalis, nomina retinent.* l. c. p. 2.

§. III. Quæ ceteroquin fortunâ Narisci usi fuerint ex historicorum monumentis parùm obviis colligere non li-cet, nisi iisdem fluctibus cum finitimis navigasse conjectu-rare

rare velis. Ita etiam eorundem nomen inter ceteras gentes recensetur, quæ adversus Romanos in gravissimo bello Marcomannicò, quò Romanis scriptoribus attestantibus gravius nullà unquam memorià extitit, arma capessiverunt; *Omnes autem populi ab Illyrici limite usque in Galliam conspirarunt; Marcomanni, Varistæ, Eumunduri, Bojemie tum incolæ, & alii plures, quos magno numerò recitat Aventinus lib. II. p. 87. Annal. Boj.*

§. IV. Hactenus amplissimos Nariscorum terminos levi penicillò delineavimus, populi nomen Voitlandis nostris equidem remansit, minima verò terræ pars id quod ex subjungenda Voitlandiæ delineatione lucidè patescet. Alia verò Voitlandiæ conditio est, quæ Comitibus Andechisiæ stirpis paruisse traditur, alia nostræ seu hodiernæ, quæ eò nomine venit: ut adeò non absre eam in VOITLANDIAM ANTIQUIOREM sive Ducibus Andechisii stemmatis subditam, & NOVAM, eamque nunc variis Principibus ac Dominis parentem distinxeris. Illa Ducatûs nomine insignita passim legitur, & non mediocris erat ambitus. Ottone verò ultimò, cum quo stirps Andechisia exspirabat, annò ab humana gente liberata 1248. improli pereunte, opes à finitimis velut præda & manubiæ direptæ sunt. In ipso mortis genere assignando autores admodum dissentiunt. *Alii toxicò sublatum, alii ferrò ab Hagare, cujus uxorem constupravit, necatum tradunt; verumne id sit, an ad leniendam tam crudelis cædis invidiam confictum, tum quoque, cum magis liquere possit, incertum fuit.* Aventinus. lib. VII. pag. 426. seq. Sed à plurimis stupri reus, coque necatus traditur, nec dicam de Rythmo, in quem Ottonis promissa Hagari facta abierunt. Maximè juvat hîc nosse, à quibus opes postmodum direptæ sint, id quod Aventinus ibidem edocet: *Boethos, inquit, in Germania magna in septentrionali Bojaria, quatenus continuatur Franciæ antiquæ, Hercinioque jugo, quod Turogos, unde cognomen habet, à vetustis Bojis & Francis disternat: partim præfectus Urbis Norinbergensis, partim Pontifex Bambergensis atque Wurtz-*

burgensium vindicarunt. Dalmatiam, Croatiam Ducatum Merania vocabant, Histriam Veneti intercepere.

§. V. Antiqui illius Ducatus passim meminit Franciscus Irenicus lib. III. c. XCIX. f. 93. Exeges. Germ. *Voitlandie* inquit, *Ducatus in montibus Bohemicis ex alia parte usque ad Bambergam olim pertendebatur, quorum princeps ultimus supra Mœnum fluvium ditionem suam tenuit. Verum à propriis domesticis oppetiit, Ducatus ille palam expositus est. Potentissimus quisque hujus urbes tunc invaserat. Ascivit sibi Herbipolens. Præsul Scilifefeldium, Bamberg. vero Holfeldium; Norinbergen. Burggvavii Habenbergum, sicque desit.* & cap. XLVII. f. 74. *Dux Voitlandie à suis militibus occisus, invadendi pro arbitrio cujusque fecit potestatem, unde Episcopus (Bambergensis) locupletissimus factus est.* conf. etiam lib. XII. lit. V. fol. 227.

§. VI. Satis de Antiquiori, novam contemplantur Voitlandiam. Hæc ipsa non parùm decurtata angustioribus hodie includitur terminis, & cum adhuc Nariscie nomen retinuit, terræ pars Palatinatui Superiori, pars Norinbergensi tractui, aliisque cessit ditionibus. Termini huic ex Quade assignari possunt, quod à meridie ac ortu Montes Sudetos, ab ortu æstivo Misniam, ab occasu æstivo Thuringiam habeat. Adde juxta Zeilerum de Circ. Sax. Sup. vicinias Noricum scilicet ac Palatinatum superiorem.

§. VII. Hic denique memoratu ac notatu maximè dignum ducimus Albinus in Chron. Misn. monitum, qui non exiguam terræ partem à nostra vulgò dicta Voitlandia avellit. Tit. XIII. l. c. *Accole, inquit, alterius Sale lateris nec non Sudetorum minus rectè Voitlandi salutantur, cen vulgò audiunt, verius Osterlandi. Osterlandie enim tractus à fontibus Elystri olim cœpit ad nobiles urbes Mersburgum ac Halam pertingens; idque ab antiquioribus Historicis, (quos tamen reticet) accepisse scribit: Propriè autem sic dicti Voitlandi terram intra oppida Curiam, Noribergam ac Ambergam incoluerunt. Nunc cum Osterlandorum in Misnensium nomen commutatum sit, Voitlandi finitimi his Misnensibus merito sunt accensendi. Idem p. 182. Osterlandi ad oppida Plavven Geram ac Widam ex incuria Voitlandi appella-*



ti sunt; ratio tamen reddi potest, quod Plavensis Advocatus suos ibidem Subadvocatos constituit, ac postea inter suos divisit; Vel quod ibi locorum, usu sic obtinente, arcium praefecti Advocati seu Bögte cognominati sunt. Haecenus Albinus. Adde, quod Bruschius in descript. Piniferi Elsterbergæ in Misnia sitæ, quæ tamen hodie inter Voilandia oppida locum sibi vindicat, mentionem faciat. Optimè quoque id ipsum B.M. Johannes Fiedlerus Reichenbach. Diaconus perquam meritis, vir in his literis non vulgariter versatus, observavit, annotavitque in Ms. Chron. Lengenfeld. c. 2. Osterlandia inquit, (si Latine ejusdem verba efferes) in superiorem olim ac inferiorem discescebatur; Superioris regio erat tractus terræ ab Oppido Plaven ad Zuvickaviam usque; Ab hoc inferior postmodum incipit.

CAPUT III.

TRactandi modus juxta Impp. seriem instituitur. Drusus Germanorum terror; quousque cum Romanis pervenerit non liquet. juxta Peccensteinium Drusus arcis Voitsberg conditor est; Rucheni juxta eundem origine Romani; ex Columnesia familia. Contra alii. Peccensteinii sententia partim dubia partim erronea. Versiculi ab eo laudati multis spurii sunt. Dubia quoque est nimia arcis Voitsberg antiquitas.

§. I. Nariscorum antiquiorem statum, situmque, juxta eum Voilandia divisione, in quantum hæc omnia percontari licuit, proximò capite delineavimus; nunc, ut ordo memoriae consulat, ad tempora IV. quam vocant, Monarchiæ progredimur, cujus in V. juxta Bunonem periodos nota est divisio. Prima quidem Ethnicorum, à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum usque, Imperatorum constituitur. Quæ hóc temporis tractu Nariscorum fortuna fuerit, numve in hanc tempestatem appellationis origo, quâ hodie Advocatorum Terra dicitur, incidat, dispiciemus.

§. II. Pervulgata certè & celebris est Romanorum adversus Germanos irruptio atque expeditio sub Augusti regi-

regimine Duce Drusò suscepta. Drusus enim Dux & Imperatoris Augusti Cæsaris trimestris (dicteriò hinc vulgatò nobilis: *τοῖς εὐτυχῶσι καὶ ἰεμνῶα παύδια* h. e. *fortunatis etiam trimestres nascuntur liberi.*) filius, privignus rectius fuit, utrumque, h. e. paternum maternumque, genus traxit ex patritiorum gente Claudia, eaque superbissima, crudelissima & imperiosissima. Certis enim quibusdam familiis certas virtutes, certa que vitia insita ac velut hæreditaria esse, elegantissimè B. Bosius dissert. de Tib. Cæs. §. 7. 8. docet. Hic ipse Germanorum terror propitiò planè Marte adversus Germanos arma gessit, eosque adeò agitavit, ut non modò cognomen consecutus sit ab ea gente, teste Ovid. Fast. i.

Et mortem & nomen Druso Germania fecit.

Sed & victoriarum celeritate frequentiaque tantum metum ipsis injecerit, ut vel ad nominis ejus mentionem trepidarent; & hinc Germanis frequens quoque fuit formula, quæ in proverbium abiit: *Ut Te Drusus perdat*, & quibusdam usitata Germanica imprecatio: *daß dich die Drüsse ankomme*. Proditur enim, ab iplo morborum genus, quod in Medicorum scholis *die Drüssen* vocatur, inde nomen sortitum esse, eò, quod Germanis pestis fuerit, atque funus. Confer Spangenberg. Chron. Mansf. c. 28.

§. III. Quousque verò sub hoc Druso Romanorum eruptio in terras nostras fuerit, non una omnium est sententia, quin incerti potius hæreant historici; Testis nobis esto Fabricius lib. VII. p. 778. de orig. Sax. *Veterem ibi (de Voilandia loquitur) Nariscorum sedem fuisse verisimile est, sed quid in illis locis egerint Romani verè affirmari non potest.* Bruschi- us in descr. Pinif. ab init. negat, Romanos in has terras pervenisse, nedum occupasse.

§. IV. Nihilominus Peccensteinus Theatr. Sax. c. XIX. p. 325. affirmare non dubitat, Drusum Tiberii Imperatoris ætate annò post natum Christum 21. terræ tractum, quem Voilandiam seu Terram Prætorianam inde vocamus, occupasse, sibi que propugnaculum, quod Voitsberg vulgò dicitur,

dicitur, exstruxisse, ibiq; sedem fixisse. Quæ ditio, ipsò do-
cente, postmodum Romanis Prætoribus seu Advocatis,
quos hodiè Illustres Ruthenos appellamus, hæreditati ces-
serit. Hic ut fidem faciat, recitat in vulgus notos versicu-
los in arce modo dicta adscriptos. Vid. Part. II. p. 40. 41.

*Castra locans Drusus hic Prætoria nomina monti
Fecit, posteritas servat & illa sibi.*

Nec unâ sed sæpè iteratis vicibus hanc sui sententiam in
illo Theatr. Sax. inculcatum it, cum primis pag. 258. id ma-
ximè agit, ut satis superque adstruat, Illustres Dominos
Ruthenos, de quibus ipse Peccenstein. legi meretur, Roma-
nis natales debere, atque in Drusiana expeditione ex Italia
in Germaniam traductos primùm Prætorum seu Advo-
catorum, vel etiam Locumtenentium munere esse functos.

Ad originem Romanam comprobendam maximo eidem
argumento sunt verba diplomatis Friderici II Siciliae Regis
An. MCCXXXII. ad Portam Naonis in Carindia dati; ita autem
habent: *Notum facimus omnibus Christi fidelibus: Quod No-
biles Domini de Plauen nostri & S. Rom. Imperii Advocati, & tunc
temporis exercitus nostri summi Capitanei, Henricus Senior, &
Henricus Junior, strenui milites, ex nobilissima & antiquissima
Prosapia Romanorum Veteranorum orti & progeniti sint.*

§. V. Sed Peccensteinus ipse varius & sibi minimè
constans esse videtur, cum plures origines inquirat, quibus
ortum nunquam satis laudatæ Ruthenorum familiae tri-
buere queat, quæ de propagine Familiae Columnesiae p. 261.
tradit, à Cyriaco Spangenberg. l. I. c. 2. f. 26. & Volaterano
l. 22. in dubium vocantur, quos Zeilerus Contin. Itiner.
c. IV. p. 62. 63. laudat. Sed hæc lis, quàm in præsentis negotio
non attendimus, est adhuc sub iudice.

§. VI. Quantum verò fidei sententia illa de Druso
ejusque in has terras excursionem mereatur, non facile (nisi
nullam velim) dixerim. Alii in ambiguo, quid primùm,
quid postremum eloquantur, hærent, & verbis, dubiæ sen-
tentiae notis, ut: *perhibetur, dicitur, commemoratur*, & quæ hu-
jus generis alia quàm plurima sunt, utuntur. Aliis eadem
C vel Si-

vel Siculis gerris vanior & pura puta fabula esse videtur.
Vid. Albin. Chron. Misn. p. 201. Dresserum de Urbb.
p. m. 493. Zeiler. Itinerar. Germ. p. II.

§. VII. Denique hujus nostri Historici Saxonici nar-
ratio eò quoque nomine, quod Drusi res gestas ad annum
21. à N.C. rejiciat, obeliscò esset notanda, cum ipse ante
Christum natum in Germania equò collapsus ex fractura
cruris, tricesimò post die decesserit; quod mortis genus ex
Epitome Liviana lib. cXL. contrà quàm ipse Suetonius
morbò Drusum diem supremum obiisse in æstivis castris,
quæ ex eo scelerata sunt appellata, traditur à Comment.
Suetonii edit. Schildian. p. 503.

§. VIII. In optatis equidem esset, majores nobis fide
digniora tradidisse monumenta, quibus commoti in de-
cantatam sententiam Peccensteinii descendere possimus;
sed fortassis optare magis, quam sperare licebit. Versicu-
los, quos hodiernum dictò locò legimus magna Scriptorum
manus, quibus Peccensteinii relatio partim suspecta ac du-
bia, partim etiam fabula est, spurios judicat, æstimatq; imò
à sciolo quodam dubiò procul in vetustissima hujus regionis arce
Voitberg a scripturam istam depictam esse his verbis statuit Ge-
neros. Christ. Phil. à Waldenfels, qui cum primis Petri Albini
non infimæ sortis aut suspectæ fidei historici autoritate
candem rejicere adducitur. Et plures ejusdem monetæ In-
scriptiones optimis aliquando Historicis imposuisse, histo-
ria loquitur. Brevi itaque ea, quæ plurimi circa Peccenstei-
nii sententiam notant, attingere placuit, eò tandem animò
ac lege, ut certiora tradentem atque edocentem sequi
nulli renuamus.

§. IX. Denique cùm hæc historicorum animos du-
bios incertosque habeat, omninò est, cur meritò dubitemus
de non dispari, at trita satis traditione, quæ plebis ac impe-
ratorum sermone increbuit, ac si trecentos circiter ante na-
tum Christum annos arx *Voitberg* sit condita, id quod
accolæ terræ illius gloriosius quàm verius prædicant, ut in-
nuit Albinus l. c. Tit. XIV. Diversam etiam à plebe
sen-

sententiam tenet hic Laurent. Peccenstein. part. 2. Theatr. Sax. p. 41. cui fabulæ sunt, quæ vulgus dicitur.

CAPUT IV.

Historia Periodorum secunde ac tertie deficit. Arnulpho Ducibus Voithlandie ortum debent. Hi apud varios varii recensentur. Henrici Aucupis bellum, ac Advocatorum ob eodem ordinatio. Terra Advocatorum Friderici I. tempore dicitur Merania; sed falso. Errorem discutiunt Knichen ac Reinesius. Henricus Nobilis Advocatus. Ruthenorum prænomen Henricus, unde? Undeque cognomen?

§. I. Divisionis nostræ memores secundam ac tertiam Monarchiæ IV. periodos quinque secula continentes paucis complectemur lineonis, utpotè quibus res literaria, adeoque rerum historia variam fortunam esse experta, dum temporum injuria Germanorum gesta infelici damnavit silentio. Hanc bonarum artium jacturam viri in his literis excellentes dudum observant atque dolent. Nam seculo à reparata salute VIII. præter Monachorum claustra, verba sunt summi Polyhistoris Conringii in Coll. Mss. de Script. nulla erat Schola, quâ Alphabetum ediscere potuisses, adeo densa & opaca nox optimarum literarum lucem exstinxerat. Germanorum studium non Palladi, sed Marti ac Delia erat dicatum, vel ut Lansius disertissimus de ipsis loquitur Orat. pro German. Ipsi non stylum, sed filum: Non pennam, sed bipennem versabant; Neque exterorum quempiam Germania nostra invenit his studiis deditum, qui venturæ posteritati tantæ gentis memoriam ac gesta commendaverit; Hinc neque de rebus per pacis tranquilla bellorumve turbulenta gestis ulla accuratior superat memoria. Novum autem in assignanda historia beneficium unà cum Christianismo sub Carolo Magno effulgente Germaniæ Cimmericis tenebris hætenus obvolatæ Divinum Numen benignè concessit, dum eidem procedente tempore, si non

exquisita, haud spernenda tamen historicorum contigit industria. Sed de seculorum horum infortunio, quantumque his, si Germanicam respicis historiam, cetera praestent, doctè nos edocet Vir in his literis ut assiduus ita & felicissimus, Amplifs. & Excellentiss. Caspar Sagittarius Historiarum in hac Salana P.P. Celeberrimus Hodegus noster in hoc aliisque studiis fidelissimus, Dissert. de Script. Histor. German. præcipuis.

§. II. Quartam itaque periodum, quæ Carolina & subsequenta ad Rudolphum Habsburgicum usque tempora continet, quibus Germanorum Historia splendore quodam fulgere coepit, adire placet; Ut autem Carolina tempora & optimi Imperatoris res gestæ fideliter memoriæ commendatæ & scriptis celebratæ sint, singulorum tamen Germaniæ Populorum historia non satis feliciter est annotata. Juvat interim brevi Christian. Matthiæ verba in Theatr. Hist. IV. p. 514. recensere, qui Comitum Voitlandiæ originis mentionem facit, ubi Arnulphi penultimi Carolini stemmatis Imperatoris vitam examinat. *Habuit, inquit, Arnulphus filium Rapoldum (Aventino nobis infra citando Ratholdus dicitur) conditorem stirpis Andechisæ in Bavaria, ex quo nati Comites, qui postea diu tenuerunt Ducatum Istriae & Meranie cum Voitlandia.* Ab eodem Arnulpho Gentis Andechisæ origines longâ serie ac perspicuè ad Ottonem ultimum hujus familiæ sine prole masculini sexûs extinctum deducit Aventinus lib. VII. Annal. Boj. p. 426.

§. III. Ceterum syllabû Principum, Marchionum, Comitum Voitlandiæ terram ab anno Salutis recuper. Mx. per duo, & quod excurrit, secula administrantium ex Lazio lib. VII. de Migrat. Gentium sedulo eruit Nobil. ac laudat. Christ. Philipp. à Waldenfels Monum. Hist. à p. 280. ad 285. Ex quâ recensione aliquorum nomina proli Andechisæ stirpis respondent. Recenseri hîc quoque mereretur Comitum de Vogburg genealogia à Bruschio, ab anno 907. ad 1170. per-texta in Descript. Pinif. Sed singula ex laudatis his reponere, iisque immorari cum chartæ angustia, tum instituti ratio dissuadent.

Nunc

§. IV. Nunc ad Advocatorum in his terris constitutionem inquirendam nos accingimus. Sunt qui Henrico ab Aucupio, (cui intentus fuisse dicitur, cum eidem imperii insignia offerrentur,) cognominato Advocatorum originem tribuant. Multa alias tantò principe digna in his terris gefisse scribitur, & in eis, quòd in medio trianguli, quem oppida Lengenfeld, Reichenbachum ac Hirschfeldum constituant, cum populo, quem Vandalos esse volunt, arma contulerit, eumq; fregerit; à quo prælio sylvæ pars nomen sortitum est, ut vernacula nostra das Streitholz dicitur; hinc inde etiam armorum reliquiæ ad nostram usq; ætatem repertæ sunt, quod vult. B. M. Fiedler. Ms. cit. c. 9. tum etiam loca varia restitui curavit, & in his urbem ab eisdem, ut tradunt, dictorio *Ihr hest die Stad verzwickte* cognominatam Zwickaviam. *Prædictum etiam ibidem Cuniconem ordinavit, qui Advocatus Zwickavia fuit appellatus, à quo Advocatorum der Bögte nomen remansit. Hi Voigti Plauenses postea ceperunt appellari à loco, quem tenuerunt, postea verò in familias plures quasi disseminati sunt, Geranam, Widensem, Ruthenicam.* Dresserus *Isagog. Histor. part. V. p. m. 630. de Urbe Zwickavia.* Krantzius, cum de armis Caroli IV. contra Plauensem susceptis agit, in hanc rem ita commentatur *I. IX. Sax. c. 32. Terra, inquit, est Advocatorum, non longè à Saxoniam Superiore, quam Primus Henricus Romanorum Rex subiecit Monasterio Dominarum in Quedlenburg, constituens quatuor per terræ angulos totidem Advocatos Nobiles, qui Barones dicuntur de Wida, de Gera, de Ruffe, de Plauen.*

§. V. Pedem porrò ad Friderici Imperatoris, qui Italis contumeliosè *Ænobarbus* dictus est, & ab anno MCLII. æræ Christ: Imperii summas tenuit, ætatem perferimus, quæ terræ, de quâ agimus, novam ex quorundam sententia appellationem, nempe *MERANIAE* nomen, indidit; Ex hujus sententiæ Patronis non postremum, *Cureum* (*Chronic. Silesiac. p. 72.*) nominabimus, qui primò equidem optimè eos, qui Meraniæ in Moraviæ nomen falsò commutant, erroris coarguit; Horum enim caliginem pariter

discutit Variarum Lectionum inclytus auctor, Reinesius Cap. XVI. p. 252. Librarii, inquit, veteres solenniter in hoc nomine erraverunt, ut ubique ferè Scriptorum, & in ipsis Instrumentis publicis, Rescriptis & Decretis Imperatorum in Moravia abierit, sed quos castigare intereat *Historica Veritatis*. Paulò post Silesiaci Chronici autor in hunc sensum pergit: Regio illa ab antiquis *Nariscis* inhabitata Imperatoris *Friderici Barbarossa* etate *Merania*, & posteris temporibus *Voitlandia* audivit; *Masculà* enim *Ducum Meraniae* stirpe in *Ottone* exspirante à vicinis occupata, atque invicem divisa est; partem *Bambergensis* & *Wirtzbergensis* Episcopi, partem *Norinborgensis* *Burggravius* sibi vendicant. Eadem sententia à perquam multis, qui *Curæum* laudant, repetitur. Vid. *Zeilerum Itiner. Germ. Contin. p. 62.*

§. VI. Sed cum gravissimi scriptores huic de *Merania* sententiæ dicam scribant, eidem assurgere meritò ambigimus. Non levis quidem momenti dubium est *Historicorum* de illustribus *Meraniæ* ducibus. *Nam qui sint, fuerint ve isti, video viros πολιτικωτάτους non dubitare saltem, sed planè ignorare* differit *Reinesius* *Var. Lec. l. c.* & nobilissimus *Goldastus* (egregiò hoc ornatus elogiò à *Reines.* inquirente: *Hunc ad Antiquitatis Alemannicae reliqueque adeò Germanie eruditissimis scriptis symbolam contulisse satis luculentam scimus & predicamus.*) *Ego, inquit, qui hic Ducatus sit aequè cum ignarissimis scio, nisi si Moravia sit, quae adhuc Alemannis Meran interdum* *Merensland. t. i. p. 2. Alem. Rer. ad c. xxxi. Eccardi de vita B. Notkeri Balbuli. Curæi autem erratum præter alios etiam detegit Vir Consultiss. Andr. Knichen de Jure Superior. in com. l. alt. territorii c. iv. Fallitur* (nempe *Curæus*, quem ibidem castigat) *sub ducatu siquidem Meraniae ab urbe maritima indigitato intelligitur Croatia & Dalmatia. Vid. plures, qui l. c. laudantur.* Juvat imprimis variâ eruditione nulli secundi *Reinesii*, quæ à perquam paucis observata legitur, rationem tradere, qui postquam quorundam *Meraniæ* Ducum nomina maximis extulit laudibus, *Ottone* quoque ultimum hujus familiæ *Friderico II.* imperante spectabilissimum inter eos memorat, cujus unica filia
Elisa-

Elisabetha Friderico I. Burggravio Noribergensi oppida
Voitlandiæ ad Salam & Mœnum, Culmbacum, Bojorutum,
Carlesburgum in dotem an. Mccclxxiv. attulit. Ob dotem,
pergit, istam à Ducis Meranie filia cum heredio Burggravi No-
ribergensis sociatam putarunt nonnulli, qui Philippum Melanchtonem
& Joach. Curæum autores laudant, Ducatum Meranie eò tractu
fuisse, qui post Advocatorum terra vocatus, istoque nomine hodie
notus est, quod erroneum esse nemo dubitat. Dicta autem oppida O-
rtho parens jure dotalitio similiter à conjugè Comitissa de Ammertal
acceperat. Ipse ab avita possessione oppidi Meran ad sinistram
Arbesis ripam, cui ex opposito castrum regium Terioli Terle / Tyrol
imminet, & territorii adpertinentis, etsi in Bavaria, Norico, &
Franconia amplissimorum fundorum Dominus, denominatus est;
Plura de Merano Vid. ibid.

§. VII. Hactenus de nova eaque suspecta Terræ no-
stræ appellatione. Porrò ab his annis Advocatorum hujus
regionis nomen celebritatem sermonis hominum conse-
cutum est. Enituit maximè Henricus Nobilis Dominus
de Wyda & totius terræ Advocatus, prepotens possessor & do-
minator, variorum Monasteriorum fundator, ut loquitur Pau-
lus Langius Cygn. Monachus in Chron. Cizizenfi, qui etiam
sequentiæ memoriæ prodit: Henricus Senior dictus fuit tanquam
excellenti titulo Advocatus, seu vulgariter Voit de Wyda, & ita poste-
ri ejus per multa tempora. Nam totam terram Advocatorum, quæ
& tunc, sicut & nunc das Voitland dicebatur & dicitur, possedit. Uxo-
rem habuit Berchtam Comitissam à Tyrol, quæ peperit ei quatuor fi-
lios, qui omnes Henrici dicti sunt, quorum primus post eum sedit in
Wyda, secundus in Groyt sive Greitz dictus Henricus Reusse, tertius
in Plavven, quartus in Gera. Et lineis quibusdam interjectis
pergit: Notandum est quod supra dictus Henricus videlicet dictus est
Henricus de Weida, eo, quod ipse & pater suus transstulerunt à
monte Sancti Viti civitatem, nunc trans Elstreum positam. Nam
antè vocabantur Comites de Gisberg. Hæc ad an. M c xciii. Chron.
cit. quod illustr. vet. script. ex Biblioth. Joh. Pistorii Tom.
I. exhibitis insertum est. p. 791.

§. VIII. Duo cum primis memorabilia hic innuit
Langi-

Langius: Alterum quod singuli Henrici Nobilis, ut loquitur, nati Henrici sint vocati, alterum verò quod secundus natus Dn in Groitz cognomento Reusse nuncupatus sit. Ex his enim de utriusque nominis origine, in qua eruenda autorum maximus deprehenditur dissensus, illustri Stemmati hodiernum familiari conjecturam aliquis capere possit. Non ingratum fore autumo, brevibus quorundam significasse sententias. Primò quidem de dicto isto prænominem ita habet Peccensteinus: Quidam ex laudata familia militatum proficiscens in prælio cum Saracenis commisso fortiter cadit, reliquis interim domi relictis, quâ fortunâ absens utatur, nesciis; Fascinator quidam habitu corporis, loquelâ ac gestibus absenti non absimilis nomen ac personam absentis mentitur, ac debitam hæreditatis partem sibi vendicat; Sed dies fraudes aperit, fascinator poenas demeritæ dat meritas, ac illustri, quæ hodiernum Ruthena audit, familiæ consultum videtur unò eodemque Henrici scilicet uti nomine. Uberius ipse hæc recitat Theatr. Sax. c. xviii. p. 265. 266. Sed quid inde? num hæc viâ fucum vendituro obviam itum fuerit? vix omnibus hæc Historicus Sax. persuadebit, etiamsi persuaserit.

§. IV. Aliter in hanc rem Matth Hammerus in Roset. c. 8. p. 92. *Dominus de Plavven*, (sic reddimus verba ejus) *Bertham Corinthie Ducis filiam in matrimonio habuit, ex qua IV. filios procreavit. Coniux maritum ardentem amans petiit, ut in honorem cum Imperatoris Henrici VI. quem sanguine propinquum habebat, tum sui ipsius ac quadrigæ filiarum constituere vellet, ut ex eorum prosapia pronascenti ad unum omnes Henrici dicantur, Maritus conjugii petitis locum relicturus annuit.* Confer M. Zeiler. lib. de x. Circ. Tit. v. Sax. Sup. p. 297.

§. X. Ultimo historiam de cognomento ex Peccensteinii recensione adjicere liceat, quam ex MMSS. ac lectionibus academicis hausisse non dissimulat. Verba ejus parcius commemorata huc redeunt: *Friderici II. Imper. tempestate anno M ccxxviii. bellum adversus Saracenos geritur, cui Dominus de Gera & Advocatus de Placem interest, qui à Saracenis capitur, decen-*

decennioque post negotiatori Russo venditur. Russis autem cum Tartaris decernentibus ab his denuo captus est, & cum jam diu multumque adversa cum fortuna consuetus esset, redux factus in Aulam Friderici II. vestitu Russicò amictus rediit, ab imperatore clementer atque benevolè excipitur; Postmodum cum ab Imperatore, tum ab aulicis à vestimenti habitu Russus cognominatus est, id quod cognomen vel ab ipso in extremis literarum scriptum legitur. Sic in hunc sensum ille loc. cit. p. 264. sed nos hæc ὡς ἐν παροίῳ.

CAPUT V.

Periodi quinte auspicia. Optimè administratur Advocatorum Terra. Nonnulla Voilandie oppida à Carolo IV. & Friderico Strenuo capiuntur. Hussitæ eandem terram miserè vastant. Gera expugnatur. Ernestus & Albertus Germani Voilandie oppida occupant. Bœmibus vicibus Terram hanc invadunt. Rustici rebelles existunt. Aliena Voilandie oppida Saxonibus restituntur.

I. Quinta denique, eaque ultima Monarchiæ hujus periodus se offert, cujus auspicia computanda veniunt à Rudolphi Comitis Habsburgici, hodiernum DEI clementiæ florentissimæ Austriacæ Domus atque Familiæ conditoris regimine, qui Reipublicæ, postcâ annos viginti & ultra, quam fluctuas set, pristinam reddebat faciem, cum circa an. MCC LXXIII. summum imperium ac rerum potestas ab Electoribus ei committeretur.

§. II. Nihil dixisse prohibet Advocatorum Terram hæc & seq. ætate ab Advocatis suis, quos modò laudavimus, administratam esse, & quidem satis placidè. Celebramus circa an. MCCCXXVII. memoriam Domini de Plawen summò administrationis, sive terræ aut regionis suæ, sive pupilli curam spectes, elogiò conspicui. Tum scilicet Fridericus Landgravius Thuringiæ & Marchio Misniæ annum ætatis XV. agebat, cui à morte Henrici Comitis Schwartzburgici sæpius laudatus Dominus de Plawen tutor, ac totius ditionis administrator datus, cujus tutelâ fide optimâ functus est, uti ob id à Pirnensi, teste Munstero Cosmograph. edit. nov. p. 1158, meritis effertur laudibus.

1327.

D

§. III. Sed

1357.

§. III. Sed ad annum Christianæ libert. MCCCLVII. (capita enim notatu digniora attigisse sufficiat) descendemus, ne gravissima Caroli IV. & Friderici Strenui conjunctis armis contra Plavensem, ut loquuntur, suscepta expeditio linquatur intacta; Non enim facile in scriptorem quempiam, vel Caroli IV. vel Friderici Strenui res gestas uberius examinantem incidet, qui hos incursus oblivione tegetet. Verùm in assignandis motuum horum causis ad unum omnes non consentiunt. Vide sis interim Albinum Chron. Misn. p. 181. seqq. qui iteratas ac diversas circa hæc tempora excursiones recitat, quarum prior anno MCCCLIV. à Carolo IV. unà cum Friderico Strenuo, posterior anno MCCCLVII. à solo Friderico suscepta sit. Hic postquam eadem ferme cum Fabricio infrà citando affirmavit, ex dictis colligit, alteram harum excursionum in Voitlandiam, alteram in Osterlandiam fuisse tentatam. Ad priora adserta non possumus non notare, historiæ conditores, quos evolvere licuit, unò ore ad an. MCCCLVII. conjunctis armis cum à Carolo IV. tum Friderico Strenuo susceptam expeditionem rejicere. Vid. Cyriac. Spangenberg. Chron. Mansfeld c. CCLXXXIX. ad an. MCCCLVII. Rivander. Chron. Thuring. p. 421. ad an. eundem. Distinctè ac perspicuè satis hæc Fabricius lib. VI. p. 674. tradit, ex quo brevitatis studio adducti nec prima, nec ultima, nonnulla tamen delibabimus: *Communibus viribus* (Rex scilicet ac Landgravius, ut in præcedentibus loquitur) *ditionem invadunt. Arx Zigenrucka primùm obsidetur, quia ceteris erat munitior. Incisis foris canalibus & tubis aquarum, laborabant inopiâ, qui eum defendebant, neque victus amplius suppetebat: Vitam igitur milites pacifcentes arcem depositis armis Regi & Landgravio tradunt. Cum in præfectum Zigenruckanum esset animadversum, mandatò regio tantus terror aliis incutitur, ut statim imperata facerent. Incidit autem hæc actio in an. MCCCLVII. plura leges loc. cit. confer. etiam Krantzius Saxon. lib. IX.*

1429.

§. IV. Novum seculum novam Voitlandiæ adfert calamitatem. Annò enim à Virginis partu MCCCCXXIX. Ad-

Advocatorum Terra cruentam unā cum maximo Misniæ tractu stragem sensit, quam Hussitarum verè furabundus furor eidem inflixit. Novam videlicet Bojohemi in Misniam excursionem moliuntur ubique summæ crudelitatis relinquentes vestigia. Occurrit his Johannes Palatinus DCCC. equitibus, sed in fugam versus ad Electorem se recipit, cui Archiepiscopus Magdeburg. & Marchio Brandenburg. suppetias ferunt. Bohemi autem missâ Lipsiâ Altenburgum expugnant ac exurunt, Plaviam obsident & in favillas redigunt, id quod ex Bucelin. Annal. Germ. p. 120. autor *πολεμογραφίας* Husiticæ M. Johan. Lauren. Langerman. Disp. Gies. Hasf. 1667. ed. tradit. Acerbam hanc Plavensium lanienam quoque prolixè refert Munsterus, cui annus MCCCCXXX. placet. Vid. ejusd. Cosmograph. p. 1159. Auditū verò inprimis horrendum est, quod ultra nongentos occubuerint homines; Ipse quoque Cosmograph. auctor non exiguum trucidatorum catalogum ibidem exhibet. Nec Plavia tantum id vulneris accepit, sed & longè plura alia Voilandia oppida furor ille Vulcano tradidit, quod non obscuris sæpius laudatus Fabricius edocet; Sed hic contextus ex lib. VIII. p. 744. de promptus instituto huic maximam lucem afferet: *Incendunt, inquit, (Bohemi) hinc inde in agris villas plurimas, tum Smolim & Grimmitiam. In Voilandia autem Werdam, Reichenbachium, Auerbachium & Olsniciam. Impetu verò inprimis furiosè ibant in Henricum Plavensem. Is in carcere detinebat Sternbergium, Baronem Bœmum, quem dare redimendum illis noluit. Oppidum Plava inter Elistrum & Siram fluvios, arcem in excelso colle habet, cui præfectus erat Georgius Radshauerus, cum quo paciscebantur hostes, ut ipse ex arce discederet, milites arma deponerent, salvi abirent: Nisi facerent, extrema minantur. Spatiò ad deliberandum concessò, arcem in potestatem Bœmi accipiunt, nec pacti memores, dedititios crudeliter interficiunt: Inter quos de nobilitate plures quàm centum necati & spoliati sunt. Metu illo sublatò in cives ferrum stringunt, & supra nongentos trucidant. In Senatum & Flamines magis, quàm in ceteros suâ consuetudine truces. Octo fratres Marianos & quatuor Domini-*

canos unâ fossâ vivos obruunt. Editâ per oppidum cede universonum, arcem diruunt, & tecta incendunt VIII. Calend. Febr. quo die memoria conversionis Pauli Apostoli celebratur. loc. cit.

1450.

§. V. Postmodum an. MCCCCL. novum Voitlandiæ oppido, Geræ videlicet, excidium à Duce Wilhelmo maximò adversus Gerensem, ut legimus, juvenem odiò flagrante parabatur, quod gravissima foemina Adolescentis parens nobiles matronis stipata eò amictu, quo nostrates in exequiis utuntur, induta Wilhelmo obviam veniens primò inhibuit. Dux Wilhelmus verò denuò concitatus minas in effectum dat & oppidum Gera à Bohemis, utut obsessi fortiter pugnarent, expugnatur, sed non sine illorum clade. Cives fugâ in templo salutem quaritantes, non habitò personarum, ætatis ac sexus respectu, ad aram miserè trucidantur. Pluribus hæc suggerunt Cyriac. Spangenberg Chron. Mansfeld. ad an. MCCCCL. c. 330. Georg. Fabricius lib. VII Rerum Misn. p. 716. sqq. Rivand. Chron. Thuring. ad an. cit. p. 475.

1466.

§. VI. Iisdem temporibus floruerunt Celsissimi Duces Saxonix Ernestus & Albertus Germani, Friderici cognomentò Placidi filii, plagiò Kauffungianò scriptoribus notissimi. Horum ætate major Ernestus Elector, ex quorundam sententia unâ cum fratre Alberto IV. Idus Febr. MCCCCLXVI. in Voitlandiam movet, agrum Plavensem ingreditur, Plavam occupat, arcem oppidi capit, & illam omnium antiquissimam Vodbergam. Olsnicenses & Adorfii sponte in castra veniunt, seseque dedunt, ut in hanc rem scribit Fabricius lib. VIII. l. c. p.

1471.

777. Vid. insuper Munster. Cosmograph. p. 1159. Petr. Albin. Chron. Misn. Tit. XIV. Matt. Dresserum Isag. Hist. part. V. Peccenstein. Theatr. Saxon. c. XI. p. 150. Zeiler. Itiner. Nov. Antiq. Contin. p. 61. Albertus verò Ernesti frater annò MCCCCLXXI. oppidum, quod vulgò Elnbogen, Fabricio Ancona, Aventino Helenobium, aliis Cubitus, item Saxo-Cubitus dicitur, oppugnatum in Voitlandiam abiens, ipsum obsidione claudit, incolasque brevi sub potestatem redigit. Vid. Bruschium descript. Pinif.

§. VII

§. VII. Paucis porrò lineis superius, idque XVI seculum attingere instituti svadet ratio. Sed & eòdem misera terræ nostræ propter vicinos malos perhibetur conditio. Anno enim IV. seculi hujus Boëmorum copiæ magnas ediderunt ruinas, de quibus Bruschius in descr. Pinif. cum de Artzburgo agit, legendus est. Postea (quod Zeilerus Itiner. Germ. p. II. asserit) oppidum Olsnitz, variis ceteroquin casibus expositum à Boëmis an. MDXIX. miserè devastatum, & in favillas redactum est. Ecquis hinc dubitet, reliquum terræ hujus tractum non simul acerbissima accepisse vulnera? Unde verò Zeilerus sua petierit, ipso tacente, non satis liquet.

1504.

1519.

§. VIII. Novas pariter turbas dat annus seculi hujus XXV. quò Rustici in agro Plavensi seditionem conflant, de qua lege, sis Munsterum Cosmograph. l. c. Tandem verò sub finem sec. XVI. Voitlandiæ oppida à Bohemis in bello Smalkaldico occupata à Rudolpho Boëmorum Rege Clementissimis nostris Saxonix Principibus restituta sunt, Teste Zeiler. de X. Circ. p. 368. & alibi.

1525.

§. XIX. Restat ultimi, præsentis scilicet XVII. seculi delineatio, quò & ipsa Advocatorum Terra fortunæ fuit ludibrium, quod mali unà cum vicinia, aut si mavis, tota Germania est perpessa. In recenti enim & cruda, ætate provecioribus bellum, quod tricesinale vocant, hæret memoria, ubi unà cum multis aliis regionibus truculenter devastatis & concussis Voitlandia quoque pluribus quasi procellis ac tempestatibus fuit agitata; undique etiam in his terris gladiatorum fulgor perstringebat oculos, undique armorum audiebatur sonus. Et quid auditu dictive horribilius excidiò, quod Olsnitia expertum est. Sed cruentum hoc vulnus Voitlandiæ inflicium refricare datâ operâ super sedeo.

CAPUT VI.

Terra qualis. Incolarum indoles, encomium. Oppida à quibus describantur. Piniferi quatuor, quæ effundit, flumina. Eiusdem bonitas exteris nota. Fluvius Margaritifera. Epilogus.

D 3

§. I. Præ-

§. I. Præmissâ Historiarum serie dotes Terræ nostræ suis singulari capite efferri mererentur laudibus. Verùm, cùm iam in jam philyræ Lineamentis his dicatæ sint repletæ, summas nonnullorum memorabilium tribus verbis attigisse sufficiat. Primò omnium Terræ ac locorum indolem explorabimus; Equidem illius naturam contemplanti regio quibusdam in locis se offert horrida aspera, montosa ac sylvosa, veteris Germaniæ faciem ingenuè repræsentans; Alibi tamen mitior, planior, & indefessò incolarum studiò ac labore optimè culta, cui ær temperatus spirat atque salubris, pecorum ac ferarum abundans, metallis aliisque terræ donis dives, mater incolarum & ingenuorum & fortium. Nec facilè quis inficias iverit animosos ac constantes incolas Advocatorum terram nunquam non aluisse. Viget sanè non intermoriturum Gustavi Adolphi Regis ac Herois sine pari elogium, quod laud. Christoph. Philippus à Waldenfels p. 345. Monument. Histor. annotavit. *Malle, dixit, Voitlandis propter strenuam ac indefessam fortitudinem dupla prorogare stipendia, quam aliis simplicia.* Eruditorum pariter Voitlandorum Zeilero & Bruschio passim laudatorum manum adducere non esset difficile. Sed cùm ceterum Voitlandorum laudibus immoratur Monumentum citatum, hæc potiùs intimasse quàm fusiùs prosequi placuit. Oppidorum porrò ditionis hujus situm, originem, fortunam, &c. exploraturus adeat Dresserum de Urb. Germ. Zeilerum Itiner. Germ. Münsterum Cosmograph. Bruschium sub finem suæ Piniferi descriptionis, aliosque.

§. II. Ab oppidis ad Piniferum patrem quatuor fluminum insignem progredior, quæ ad quatuor cœli cardines diffunduntur; Egra enim ad Orientis oras tendit, & in Bohemia Albi miscetur. Nabus Austrum versus in Danubium labitur. Moenus solem occidentem petens in Rhenum denique se exonerat. Sala ad septentrionem decurrens ab Albi excipitur. Abundat Pinifer auri, argenti, ferri, aliisque metallis; sed dolendum est tanti montis bona, Venetis aliisque exteris hætenus magis atque ipsis incolis innotuisse;
horum

horum enim vestigia sæpe deprehendit vicinia, libelli quoque idiomate Italico, Gallico, vel Germanico, quo inferiores Saxones utuntur, in quibus loci, ac rivuli auri gemmarumque fertiles indicantur, repertæ sunt. Verùm hæc & hujus generis alia singularia hîc recensenda dudum literis commiserunt Caspar Bruschius in descript. Piniferi per M. Zachar. Theobaldum Jun. Witteberg. 1612. ed. & ab ipso laudati Conradus Celtes, Bilibaldus Pirckheimerus; ne dicam quæ passim apud Irenicum in Exeges. Germ. Petrum Albinum Chron. Misn. Georg. Loyfium in pervigil. Mercur. sive observ. de peregrinatione leguntur.

Accepimus Terræ Montisque celebratissimi bona. Denique nec aqua Margaritifera suis defraudanda est præconiis. Elister enim fluvius conchas margaritis refertas hodiernum, quod omnibus constare credo, suggerit. Hoc quoque Stella secundo commentariolô derebus ac populis præcis observavit. Conf. Albinum Chron. Misn part. 2. quæ de Mont. Inscr. tit. XVIII. p. 141. Hæc atque alia nonnulla scitu & dignissima & jucundissima hîc uberius prosequi operæ esset pretium, quam lampada nunc vel aliis feliciter in hoc genere versantibus, vel alii, Deo fortunate, reservabo tempori. Hæc vicelineas Historiæ nos ducere, non ipsum corpus exhibere reminiscens ultimam curis hincemanum imponimus. Interim L. B. Catone hîc contentus esto, & si quando à scopo aberravi, cogita: Historiam legere ac meditari omnium, penitus introspicere paucorum, nec nisi felicitum est.

DEO LAUS ATQUE
GLORIA.

COROL.

QK 77 534

COROLLARIA.

Fridericus II. Kauffungio nihil pecuniæ, quô hic impulsus plagium admisisse falsò creditur, debuit.

Templarios infantes sublatos esse credimus.

Sive Casaubonus, penultima longâ, sive Casaubonus eadem brevi, dixeris, causa bona est.

Abstrahentium non est mendacium.

Instrumentum non est causa instrumentalis.

Causa & effectus sunt simul.

Quicquid improprie tale est, illud non est reverà tale.

Veritas non est in prima mentis operatione.

Jam datur Historiæ *Voitlandæ* linea prima,
Quis parili studio nunc mihi plura dabit?
DVRRIVS ingenio præstans, pietate, bonisque
Moribus, haut linquet cœpta probata bonis.

Ameris & Benevol. ergo

CASPAR SAGITTARIUS,
Histor. Prof.



COROL.

W. A.

m. c.

pul-

s cá-

te

S,

A.

ULB Halle 3
004 969 626



f





ricum exc
 Diu igitu
 oneri imp
 ortus nol
 hæc, qua
 brevitat
 sum, hæc
 sius appe
 Voitland
 do prima
 secundur
 scitur, per
 memorat
 dignè sa
 vèlim, cri
 historica
 tiora edo
 nostra co

T

ge corrup
 riana à I
 hanc app
 dam origi
 à Bogen
 à Rad. 7
 §.
 camque
 lutam I
 cis his p

laudaveris.
 m humeris
 iæ amor, qui
 E A M E N T A
 eâ, qua licuit,
 re aggressus
 apite I. rei ip-
 I. Nariscia &
 .III. ex Perio-
 7. ex quinta,
 vulgò dispe-
 c. VI. Terræ
 otius, quam
 onte accipias
 m, & si fides
 otis aliis cer-
 aves, favore

isci voces Clu-
 r. Willichius ob
 apitolini locum
 Varisci à Nard-
 Terra Prato-
 a. Posteriores
 vel vogt quibus-
 aliis Germanica
 nique Hebraea

non ipsam,
 umeris abso-
 istoriam pau-
 edipò divina-
 tore

